

22.]

1978

PROGRAMMA
QVO
SVB AVSPICIO
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
DOMINI CAROLI,
TERRARVM
BRVNSVICENSIVM AC LV-
NEBVRGENSIVM
DVCIS,
ACTVM VALEDICTORIVM
A. D. XIX. APRILIS A. MDCCXLVI.

HORA IX.

IN
AUDITORIO AVGUSTEO
ILLVSTRIS LYCEI BLANCOBURGENSIS
HABENDVM, INTIMAT,

ET
MAECENATVM, PATRONORVM, FAVTORVM
ET AMICORVM PRAESENTIAM
OMNI OBSERVANTIA ET CULTV
EXPETIT

M. Io. CHRISTOPH. DORN. R.

BLANCOBURGI, LITTERIS PAPII.

Joh. Steins. Kratzenstein mit Vernigende.

1746

X 3063686

M
484



Kassel 78 M 484 (22)

AK

Rеспublicae non ab accidente aut casu exortae sunt, sed ipsa natura homines ad condendas ciuitates impulit, ipseque Deus ex populo suo certam constituit Rempublicam, cui et leges praescripsit et formam. Exortis autem regnis, exorta sunt Regiae Maiestatis insignia, elogia, tituli, quibus iura prouinciarum retinentur, atque in successores transferuntur. Sed, vti nihil est, quod non in abusum trahi possit; sic etiam cum regiis titulis accidit, in quibus nonnullae gentes gentiumque rectores, Asiae Africæque præsertim, excessus commiserunt tantos, vt titulos arrogauerint sibi, qui nunquam hominibus, sed ipsi Deo competunt immortali. Inde de hoc titulorum immeritorum excessu in regnis imperiisque orbis nonnullis, deque eorum origine, vel paucis hoc loco tractabimus.

* 2

Initium

Initium facimus a Persarum Regibus, qui titulis tam superbis vni sunt, atque adhuc utuntur, ut SAPORES scriperit: *Rex omnium Regum, Sapor, particeps siderum; frater solis et lunae, Constantio, Caesari, fratri meo, salutem dico;* quo usus etiam est SCHACH SELIMVS IV. confer *Descriptionem Status Persici*, germanice compositam Cap. I. p. 5. Persarum Rex modernus SCHACH NADIR, hunc usurpasse titulum, legitur: *Rex Regum, Rex temporum, Asylum Muhamedorum, Exemplum Heroum et Victorum, Successor et Imitator Alexandri M.* quem ipsi etiam in ultima tractatione pacis concescit MAHMED Chach, Mogulorum Imperator. Sed probe in tanto titulorum excessu, secernenda sunt elogia a veris titulis, stylo pragmatico receptis. Rex Siami, qui tributarius tamen est Chinensium Imperatoris, legatur *Descriptio Status Siamesis*, Cap. V. p. 61. tam insolens est, ut *Rex coeli terraeque* a suis salutari cupiat. Et quid excogitari potest insolentius titulo Regis BISNAGAR in India, qui voluit appellari *Deus magnarum prouinciarum, Rex Regum, Dominus totius orbis*, confer LE BLANC in *Itinerario suo P. I. Cap. IX.* Si in vanitatis huius originem inquiramus, ea dubio procul cum IO. CHRIST. BECMANO in opere *de Notitia dignitatum Illustrium, Dissertatione III. Cap. III. §. I. p. 186.* a fastu Regum antiquissimorum Babyloniae erit repetenda, qui tam absolute imperarunt

rarunt suis, vt et ipsis Deos adorandos praescrip-
 rint, legatur DANIELIS Cap. III. quos Reges subditi,
 non tantum vt suos principes, sed et vt Numina
 coluerunt. Vnde tanta superbiloquentia SEN-
 NACHER IBI, conferatur 2. *Regum Cap. XIIII. et XIX.*
 et NEBVCADNEZARIS, apud eundem DANIE-
 LEM *Cap. IV.* quae insolentia inde ab antiquissimis
 temporibus adeo radicata est, vt eam adhuc pleri-
 que Asiae Africaeque Regum sequantur. Exem-
 plurum prae caeteris est modernum Chinense Impe-
 riū, quod omnium Asiae Imperiorum, habetur
 antiquissimum, quodque plus quam bis mille an-
 nis, sicut Io. BOTERVS suis in *Relationibus de praecipuis*
mundi imperiis, ex ipsorum Chinensium Annalibus
 memorat p. IIII. iisdem regitur moribus iisdem
 que legibus, cuius etiam reges a primis Regni in-
 cunabulis, tanta semper gauisi sunt potestate, vt
 et soli cultum Diuinum ciuibis suis praescripserint.
 Quae causa quoque est, cur subditi eos diuinis
 semper prosequuti sint honoribus. In vna qua-
 que enim prouincia Chinensis Imperii est Regis ef-
 figies aurea; eodem BOTERO notante, pag. IIII. quae
 velo operitur, praeter quam Nouiluniis: tunc de-
 tegitur visitaturque ab omnibus Regni proceribus,
 inflectunturque genua coram ea, tanquam Rege
 ipso. Hinc Regem, siue Imperatorem suum stylo
 pragma-

pragmatico adhuc vocant *Filium coeli, et unicum orbis Dominum.* Euolue et *Descriptionem Status Chinensis recentissimi,* germanice confectam, *Cap. VI. p. 198.* Nec minor Africae Regum nonnullorum est fastus. Risu dignae sunt Litterae, quas Rex Fessae et Marochii anno 1606. ad Ordines Belgii Confoederatos dedit, in quibus titulus praemissus tam fuit prolixus, ut triginta versus rhythmicos integros conferat, res autem ipsa, cuius causa missa fuerat Epistola, lineas tantum tres aut quatuor continuerit. Quacum Epistolam aliam coniungimus, quam Rex Maroccanus alias, sub finem seculi praeterlapsi, ad MARIAM ANNAM, PRINCIPEM CONTIAM, exarauerat, quam, licet iam quatuor coniuges, et pellicum CCCC. habuerit, in matrimonium sibi expetuerat. Titulus huic Epistolae praefixus, est talis: *Salutat Imperator omnium maximus, quem Lex Magni Prophetae Mabomed, in magna Orbis parte Africa exaltauit, sub quo multa millia hominum trepidant, ac leones et tigrides ad terrorem totius orbis, augentur, Viduam PRINCIPEM CONTIAM, et reliqua.* Euoluatur *Staat von dem Königreich Fez und Marocco,* ubi integra legitur epistola in germanicum traducta, *p. 34. et sequu.* Abyssinorum in Africa Reges, qui Christianam profitentur religionem, etiamsi titulis gaudent simplicioribus potius, quam longioribus, confer BECMANVM *Dissertatione citata, §. 3. p. 192.*
item-

itemque IOB. LVDOLPHVM in *Historia Aethiopiae L.*
II. Cap. I. n. 44. et sequ. notari tamen merentur in eo,
 quod pariter Orientalium more, titulo *Regis Regum*
 in *Aethiopia* salutari, ipsi praecipient, addatur *Staat*
 von *Abysinien*, *Cap. III. §. 2. et 3. p. 30.* Id tamen et-
 iam hoc loco non praetereundum, quod et in
 Africa nonnulli hodie reperiantur Reges, qui ad
 Europaeorum Principum modum, titulorum suo-
 rum scripturam formare, incipient.

Inter insignes titulorum excessus pertinent et-
 iam, qui suis in titulis gentium et terrarum usur-
 pant nomina, quas tamen nec viderunt vñquam,
 nec vicerunt, aut subegerunt; qua in re Graecorum
 nonnullorum Imperatorum, MANVELIS I.
 in primis, ambitionem taxat C. S. SCHVRTZFLEI-
 SCHIVS in *Dissertatione de Rebus Sueo-Gothicis*, quae
XVta est *Dissertationum eius Historic. Civilium*, p. 17.
 qui titulum *Gothici* sibi arrogarunt. Notatu quo-
 que dignus est titulus, quo usus ISAACVS AN-
 GELVS, temporum FRIEDERICI I. Imp. ae-
 qualis: *Isaacus a Deo constitutus, Imperator Sacratissi-
 mus, Excellentissimus, potentissimus, sublimis, Moderator
 Romanorum, Angelus totius orbis, Haeres coronae Regni
 Constantini.* E Russorum Imperatoribus BASILIVS
 M. vocari gestit: *Magnus Dei Camerarius.* In primis
 ex Aula Turcica tituli emanant insolentissimi.
 Nos vnicum eorum specimen ex SIM. SCHARDII

Rerum

Rerum Germanicarum, Tomo III. f. 1089. producemus.
 Est is titulus SOLIMANNI II. quo usus est
 in Litteris creditoribus, quas Legato suo in causa Induciarum octennalium ad FERDINANDVM I.
 Imp. dedit: „Ego Dominus omnium Dominan-
 „tium, Regnator Orientis et Occidentis, qui po-
 „tens sum facere, et non facere, quaecunque libet,
 „Dominus totius Graeciae, Persiae et Arabiae, Do-
 „minator omnium eorum, quaecunque Regi et
 „Domino subiici posunt, Magnus heros horum
 „temporum, et fortis Gigas latissimi huius orbis,
 „vniuersi maris albi atrique, et sanctae ciuitatis Me-
 „chae, splendore Dei reluentis, et caritatis Medi-
 „nae: sanctae et castae vrbis Ierusalem Dominus,
 „Rex nobilissimi Regni Aegypti, Dominus terrae
 „Ioniae ciuitatumque Athenarum, Senarum, Sa-
 „cri templi Dei Zabilon et Bassio, Rethian et Ma-
 „godin: sedes ac solium magni Regis Nashin Ret-
 „tam, et Dominus Insulae Algierae, et Princeps
 „Regnum Tartariae, Mesopotamiae et Medo-
 „rum, Georgianorum, et vniuersae Graeciae, Mo-
 „reae et Anatoliae, Asiae, Armeniae, Walachiae,
 „Moldauiae, et totius Hungariae, aliorumque quam
 „plurium Regnum ac Dominiorum, quorum E-
 „go sum Imperator, ter Magnus ille Caesar Solda-
 „nus Solimannus, filius Magni Imperatoris Soldani
 „Selim, qui a Deo habeo potestatem ad regendum

in

„in freno omnes populos, et potentiam ad aperi-
„endum omnium ciuitatum ac fortalitorum por-
„tas et claustra, in manu mea potenti traditi sunt
„omnes fines terrae nullis exceptis, ego Dominus O-
„rientis a terra Tscin vsque ad fines Africae, quem
„Deus fortem in acie gladii bellatorem constituit.
„Inter cuius potentissima Regna pro minimo repu-
„tat castrum inexpugnabile Caesareae, et pro vilissi-
„mo reputat inter haereditarias meas ditiones, Im-
„perium seu Dominium Alexandri Magni; mecum
„est fortitudo totius mundi, et virtus firmamen-
„ti. Sed de eiusmodi insolentia singulari affirmari
potest: vbi plus pompae et splendoris, ibi minus fo-
lidae subest veritatis. Praeterissem fere superbum
istum ac inanem titulum, quem usurpare quon-
dam, ferunt, ATTILAM: *Attila, Mundzucci F. Nimro-*
di Nepos, nutritus in Engaddi, Dei gratia Rex Hunnorum et
Medorum, Gothorum et Dacorum, metus orbis, flagellum Dei.
Sed hic suspectus nonnullis videtur. C. S. SCHVRTZ-
FLEISCHVS in *Dissertatione*, cui index: *Vngarica*, quae
XIIma est eius *Disputationum*, p. 8. et 9. eum inter nu-
gas refert, quia titulus *Dei gratia Carolingorum aevo*
tantum innotuit, id quod verum quidem; sed de
appellatione: *Flagellum Dei*, communis Historico-
rum est consensus, euoluatur laudatus BECMANVS
Dissertat. III. superius citata, Cap. III. §. 1. p. 187. Con-
uenit etiam cum ferocissimo ATTILAE ingenio.

**

Huc

Huc etiam referri posunt, qui augustum *Regis* titulum gerunt, cum tamen non nisi partem aliquam Maestatis Regiae, eamque interdum per exiguum, saepe etiam nullam, habeant, quorum exempla ex antiquoribus collegit H. GROTIUS *Libro de I. B. et P. I. Cap. III. §. viii. N. X.* Recentiora sunt cognita. Plura de vano hoc titulorum vsu nunc non addimus, sed calculo nostro approbamus Hispanorum illius Legati iudicium, quod apud DOMINIC. BAVDIVM *L. II. Indiciarum Belgicarum* tulit: Relinquendum esse magnis principibus hoc oblectamentum, ut inanes sibi titulos referuare possint, quemadmodum pueris dantur crepundia a blandis nutricibus.

Europaeorum Reges Christiani hac in re longe sunt modestiores ac cauiores: licet etenim plerique prolixioribus etiam gaudeant titulis, multique eorum, et regnorum et ditionum, quas minime possident, retineant titulos, id quod moribus gentium ita receptum est; id tamen non sine grauioribus causis faciunt, verbi gratia, ne ius suum praeescriptione aliqua perdant; a vanitate tamen eiusmodi titulorum vanorum, quos Orientis principes usurpare gestiunt, penitus abstinent. Ita CANVTVS Angliae Daniaeque Rex, exercitu suo, titulum *Regis Regum* ipsi tribuenti, aperte declarabat: hunc titulum non sibi, sed CHRISTO attrib-

attribuendum esse, quem penitus etiam respuit. Quadrat huc optime, quod olim a COSMO, *Florentino*, dici solitum, ferunt: „à vn Prencipe non conuiene „ambir l'eccellenza de titoli sopra gli alteri, mà che „deue contentarsi della posanza in vece del titolo, „hoc est, non conuenire Principi, vt titulorum „prae aliis excellentiam ambiat, sed in vicem ti- „tuli, potentia contentum esse, debere.

Quam turpiter itaque fese dederunt, nonnulli Aulae Romanae admiratores, qui Pontifici tam superbos attribuerunt titulos, in confesso est. In his BARONIVS, Cardinalis, non erubuit, SIL- VESTRVM IV. Pontificem, formulis adulatoriis prosequi „Sacerdos vere Magni, Pontificis Maxi- „mi, Principis Episcoporum, Haeredis Apostolo- „rum, qui et primatu alter Abel, gubernatu Noë, „Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, di- „gnitate Aaron, auctoritate Moses, iudicatu Sa- „muel, potestate Petrus, ac Diuina exstitit aucto- „ritate Christus. Confer ipsum *Tomo III. Annalium* eius ad annum 335. Sed BARONIVM mirari non debemus: is enim Pontifici obnoxius fuit adeo, vt veritatem saepe euidentissimam disimulauerit. CASPAR. SCIOPPIV M, qui tamen vir fuit eruditio- nis emendatae, non puduit, Pontificem in Clasico Belli sacri sui Cap. IV. p. 29. appellare *Deum Deo- rum,*

rum. Immo in Concilio Lateranensi, Sessione VIII, LEO X. vocatur *Regum Rex, et orbis terrarum Monarcha*, vt alia praetereamus inania, quae, licet stylo tantum priuato concepta sint, istorum tamen adulatorum et audacia, et impudica impudentia excusari nequaquam potest. Plura autem, qui vult, laudatum BECMANVM legat supra citata *Dissertatione III. Cap. III.* in primis *Dissertatione XVI. Cap. I. §. XIII.*

Et haec de vario titulorum in regnis imperiisque orbis abusu atque excessu, praemittere voluimus Orationi Valedictoriae, quam *de variis modis perueniendi ad imperium*, summa industria elaborauit, crastino autem die pronuntiabit optimae speciei iuuenis, **Iohannes Henricus Kratzenstein**, Wernigerodanus. Quo de profiteri publice possum, eum ita sese heic gessisse, vt doctoribus suis cumulate satisfecerit, eamque ob causam omnibus fuerit carissimus.

Nos igitur Viros, Per-Illustrem, Excellentissimos, Amplissimos, Summeque Venerandos, optimarum litterarum Patronos optimos, obnixe rogamus, vt dicenti gratiosas ac benignas praebent aures!



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

22.1

1978

M
484

PROGRAMMA
QVO
SVB AVSPICIO
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
DOMINI CAROLI,
TERRARVM
BRVNSVICENSIVM AC LV-
NEBVRGENSIVM
DVCIS,
ACTVM VALEDICTORIVM
A. D. XIX. APRILIS A. MDCCXLVI.
HORA IX.
IN
AVDITORIO AVGVSTEO
ILLVSTRIS LYCEI BLANCOBVRGENSIS
HABENDVM, INTIMAT,
ET
MAECENATVM, PATRONORVM, FAVTORVM
ET AMICORVM PRAESENTIAM
OMNI OBSERVANTIA ET CVLTV
EXPETIT
M. Io. CHRISTOPH. DORN. R.
BLANCOBVRGI, LITTERIS PAPI.

Joh. Heinr. Kratzenstein mit Herrnigede.

1746

X 3063686

